

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

XXV. De Marchia Misnensi

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

nis F. aetate extra vrbes, principum sede cultas, habita et finita sunt, non suspicionis, necusve causa, sed quia sic pro conditione temporum, et imminenti periculi, publicis patriae rationibus expediebat. Quin et prioribus aliquando seculis, Dresda eo delecta, et comitiis frequentata est, maxime ab Henrico illustri, atque ab Alberto, auspiciatissimo propaginis suae conditore. Aliqui Principum extra hanc Urbem domicilium habuerunt, et comitia alio indixerunt, plerumque Culmizium, in agro Oschatiensis situm, quo conveniebant, et sub dio, more veterum, deliberabant. Interdum Dolizii praesto erant apud Osterlandos, qui orientalem Misniae partem, a *Lusicensi* diversam, incoluerunt. Haud secus adibant Lomacium, Misenam, Lipsiam, Naumburgum, Dobelam, atque alias minores vrbes, si graves ad consultandum causae suppcebant, illae praesertim, quae ad tranquillitatem patriae, et ad census publicos pertinebant. *Ant. VVecke Part. IV. tit. 6.* Anno demum MCCCCXXXVI, ad hos insignes, et antiquos Imperii principatus, accessit *ducatus electoratusque* Saxoniae, cum summo *Archimarschallatus*, et *Palatinatus* munere atque officio coniunctus, multis gravibusque de causis concessus collatusque, *Friderico* Vetinensi, magno excelsoque animo Principi, et egregiis bello editis facinoribus, nomen *bellicosus* adeptus, ac vetustissimo Saxonum generi necessitudine inaeo, et luculentas Saxonici nominis dignitates, etiam ante ducatum Saxonicum consecuto, maiorumque successione, in *palatinatu* Saxoniae, confirmato, et hereditaria lege *Burggravia* in Saxonia ac Misnia, ante acquisitum *Burggraviatum* Magdeburgicum: id quod, praeter vetustissimum *Vetini Burggraviatum*, Vetinensibus gentilitium, comprobant *Burggraviatus* Misnae et Donini, iure ac ditione Misnensis principatus comprehensi. Propter has et alias dignitates, cum stirpe Saxonica Vetinensi sociatas, et perpetuo artissimoque nexu copulatas, non modo in Germania, verum etiam in universa, qua cultos et Christianos Principes habet, Europa, Duces Saxoniae, omnes alios Duces iure praecedunt, et vetustate generis, ac splendore insignium vincunt, quippe in Saxonia Aborigenes, et in nobilissima Germania parte indigenae, et veterum *Ostphalorum* vicini, auctoritate, consilio, fortitudine praecipui, quorum dominia praeter ceteris eminent, et territoria conclusa sunt, et maximis summis Imperatorum Regumque privilegiis, quae ad omnes eorum et *ducatus* pertinent, multis abhinc seculis munita, semperque continuata, et cum iure non evocandi coniuncta, neque externis tribunalibus obnoxia, et summae stirpis, regnique fere splendoris argumenta. Quorsum accedunt dignitates Imperii vacantis administrandi, Circuli Sup. Sax. dirigendi, primos ordinandi, gladii imperialis praeferendi, iura et alia quaedam singulariter moderandi, curandi ac protegendi, quae penes Electorem sunt, et totam simul stirpem lumine suo collustrant. *De his et aliis tradunt passim explanatores Saxonici iuris, et ab initio plerumque ultimis repetunt scriptores domestici, rerumque suarum satagentes, quorum vestigia secutus sum, et mediocrem in eo genere operam, quoad fieri potuit, declaravi.*

## XXV. DE MARCHIA MISNENSI.

Misnensis ditio, de qua tradere antiquitatis causa volo, et pietatis debito, nomen ac dignitatem *Marchiae* accepit sub Henrico Aucupe, (a) Francorum

corum Orientalium atque Saxonum rege, haereditarium ius ac honorem, beneficiaria successione innixum serius adeptum est, nec prius habuit, quam ab excessu imperatorum Ottonum.

(a) *Detmarus Mersburgi antistes, et firmiter stabilique omnium consensu scriptor gravis et natione Saxo, lib. 1. una opera urbis Misnensis, et praefecturae limitum illic constitutae originem explicat his verbis. Hic (Henricus Aucups) montem unum iuxta Albi positum, et arborum densitate tunc occupatum excoluit, ibi urbem faciens. Cui de rivo quodam, qui in septentrionali parte eiusdem fluit, nomen Misni imposuit, quam, ut hodie in usu habetur, praefidiis et impositionibus caeteris munivit. Huc. vid. Ernest. Comes Mansfeldius orat. de Henrico Aucupe, Fabricius ad A. 930. et orig. Sax. lib. 2. p. 115. Petrus Albinus commentar. rer. Misn. tit. 9. Laurentius Faustus descript. German. actorum urbis Misnae. David Otto Seburer in chron. Dresd. MSP. Chronicon Saxonicum, a veteri quodam monacho compositum, atque a Iohanne Pomario cultiori lingua Teutonica, licet aliquando non ex mente auctoris, expolitum auctumque, et deinceps a Matthaeo Dressero continuatum, annorum spatio dividit hoc tempus, et 930. exhibet institutae marchiae Misnensis origine signandum: pag. 108. Quod licet alii concedant de origine urbis Misnae, tamen de Marchia negant, et altero post anno, id est, 931. conditam primum affirmant: Albinus d. l. Sed Laurent. Pectenstoin annum arcis Misnensis aedificatae numerat 929. ibi. Saxon. part. 3. in urb. Misna. At multa in eo reperias, quae castigari oporteat, et negari non debeat, cum longe infra Albinum et Fabricium fuisse. Reinerus Reineccius in libro Germanico de Misnensium orig. et adventu in eas terras pag. 85. seqq. Misniae cum in ditionem regni Germanici redactae, tum Marchiae accessione ornatae primordia ducit ab Henrico Aucupe. Quamquam apud alios de hoc ambigitur, Georgius Sabinus de appellat. March. Brandenburg. pag. 77. initia Marchiae Misnensis repetit ab Ottone II. errore eo facilius intelligendo, quo est manifestior, siquidem nil tale de Ottone II. proditum est, nisi quod ad Marchiam adiunxisse traditur haereditariam dignitatem, apud Reinecc. d. loc. p. 87. El. Reusner. de origine Misenor. p. 215. Haud enim difficile probatu est, vocabulo praefidii Marchiam a Detmaro descriptam fuisse, praesertim ex iis, quae annotavit Alb. Crantzius, qui Vandal. lib. 3. c. 16. Marchionem interpretatur Praesidem in provincia, cui marchiae nomen erat, ius dicentem; Marchiam ipsam vocat, quae armorum titulo alteri acquisita ut Domino fuisset. Quod effecisse Aucupem, ac Dalemiciis, atque iis, qui Misniam insederant, Slavus eripuisse, et contra Vugarorum Bohemorumque incursiones firmatam regno Teutonico adiecisse, nullo negotio conficiamus: Dalemiciam autem, sive Dalmaniam antiquioris Misniae partem fuisse, constat ex Vitechindo l. 1. annal. Sax. Detmaro l. 2. chr. Mersb. Ad haec nil aliud indi-*

*sant verba, ut hodie in usu habetur, cum dubitari non possit, actate Detmari, qui Henrico II. imp. aequalis erat, Marchiam Misnensem in usu fuisse, quanquam adiectione provinciae Misnensis eam non expressit usquam, quod perinde de Marchia Brandenburgensi liquet: et si diversa separo ab se invicem recte, et in id tempus congruens stylis argumentum quaero, non quidem ad liquidum omnia perducam, illud tamen, nec temere, affirmabo, nunquam ante Henrici IV. et non ita frequenter ante Henrici V. et Lotharii Imp. tempora Marchiam legi ditionis Misnensis adiectione denotatam: si maxime multo ante instituta, et beneficio Henrici II. collata fuerat Dedoni, cuius hodieque supersunt posteris, et magna praecedentium ac huius seculi felicitate in Saxoniae Electoribus Ducibusque continuantur. Nec vero siverint historiae leges, ut verba, quibus ad demonstrandam priscam illam Misnenorum Marchiam usi sumus, forte de Burgraviatu illic condito intelligantur. Nam in multo tempore fuit Marchia posterior, et auspicia sua accepta fert Ottoni Magno. Nam utcumque est Burgraviatus dignitas, tamen aliena est ab aevo regis Henrici Aucupis, et usque a Carolino imperio ignota fuit, ac prima initia habuit Ottonis I. Augusti temporibus. Tantumque abest, ut verba illa communiter ac de praesidio militari solum ad defensionem finium comparato accipiantur, ut quoque iis singulariter et per quandam loquendi eminentiam designetur Praefectura limitum, quae Teutonico ac in veteri Romana Republica inusitato nomine Marchia nuncupatur. Extant tamen quaedam in Iustiniani codice de militibus limitaneis, l. ult. §. 8. C. de off. praefect. praetor. l. ult. C. de off. milit. iud. et C. l. 3. de fund. limitrop. imo et aliquot ante Iustinianum seculis de iis legitur apud AElium Spartianum in Pescennio Nigro, p. 216. recens. Boxhorn. Eratque tunc certus numerus limitum, quos singuli Comites ac Duces custodiebant, unde exemplum transit ad rempublicam Francorum, et primo omnium Marchiae nomen auditum est apud Carolingos, atque ab his ad Saxones omne pariter atque indicio revirescentis regum Teutonicorum potentiae transmissum est, quod Henricus Aucupis multas et varias Marchias institueret, cumque haereditariae postea fierent, et iuribus, quae vocantur, regalibus ornarentur, vel eo argumento iterum mutati imperii status fidem capiamus. Sed quando id acciderit, variant sententiae: nam qui ad Ottonem II. referunt, paulo ante nominati sunt. Ex Iodoco Villichio forte colligas, Marchias imperante Ottone III. ius haereditarium sortitas fuisse: cap. 19. in Tac. German. Baltb. Menciis de stemmat. March. Brandenburg. in Dierico II. At non ita explicatae sunt huius sententiae rationes, ut certum atque confirmatum animum reddant. Mihi vero per est simile, Marchiam Misnensem, quae ab seculo X. primordia cepit, (nam et quaedam serius ac duobus post seculis instituta sunt, apud Mart. Crustum Svec. annal. part. 2. lib. 10. cap. 11. et 13.) extimulis Ottonibus Augustis ius beneficiariae successionis acquisivisse. Detmarus enim lib. 4.*

Rigdagum Marchionem non aliter, quam civitatis Misnae custodem describit. Maior vero Eckhardi Marchionis auctoritas fuit, et tanta quidem, ut mortuo Ottone III. auderet regnum Germanicum affectare, apud eundem d. lib. A quo tempore haec Marchia coepta est possideri paulatim firmiori iure, ac mox beneficiaria lege nam id ultro sequitur ex historiae Detmari contextu, et compositione verborum, ex parte regis tenere, id est, ex parte regis, sive imperatoris in beneficium tenere, quae comparatione mutua intelliguntur ex lib. 6. p. 152. et lib. 4. p. 87. Et vere doceri hoc aut saltem declarari potest, quod cum illa ipsa Marchia traderetur Comiti Hermanno, super eius concessione in iudicio Principum consultaretur, teste Detmario lib. 6. p. 154. Tum ex Aschaffnaburgense Presbytero, veraci scriptore et graviter Teutonicarum rerum perito licet cognoscere, Henrico IV. aeco Marchiam non solo beneficii titulo, nec sensu tantum, sed expressa significatione iuris haereditarii explicari, usque eo, ut tota curatio marchiae in fines iuris territorii descripta, et quasi in patrimonium addita censeretur, et si imperator se immiscens, privilegia et haecenus partas dignitates turbaret, belli occasionem daret, ad A. 1057. conf. Frisbergensis, qui memorat, Saxones non permisisse, ut imperator Henricus IV. in ditionibus suis atque adeo Marchia Saxonica, de qua loquitur Aschaffnaburgensis, et ego ratiocinatione quadam accommodo ad Misnensem, castella aedificaret ac muniebat identidem, et defensionem eius tanquam ad se quoque pertinentem curabat, ut satis ex Detmario constat, inprimis lib. 6. et 7. Quod multos ad eam sententiam perduxit, ut affirmarent, Marchias primum sub tempora Henrici IV. haereditarias esse factas. Vid. dissert. auctoris Origin. Pomeran. S. 8. sub lit. r. Etsi negari non possit, iam ante in familiam additas fuisse, et beneficii vocabulum non alio, quam feudi notione sumsisse Detmarum. Ac his rebus rursus admoneri possumus de vicissitudine ac varietate Marchiarum, praesertim Misnensis, non tantum quod ei iuris haereditarii honor impertiebatur, sed quia id etiam, quod a principio originis suae non habuit, postero tempore obtinebat, ut Ducatui, quae summa in re publica Teutonica dignitas antea fuerat, exaequaretur. Illud porro etiam, neque inconsulto aut temere hic dicam, Comites multo prius dignitate haereditaria auctos, quam Comites limitum, qui Marchiones, sive Marchgravii nunc appellantur. Horum alioqui, et speciatim Misnensis, mentio fit in speculo Saxonico, art. 62. Ut quoque hoc indicio esse possit, aeco Imperatorum Saxoniorum Speculum istud non congruere, nedum Carolino, siquidem veris argumentis constat, referri oportere ad XIII. seculum, nec ulla sane dubitandi causa in hac parte apparet. Tantum addo de Burggraviis, in quantum et hi non amplius meris Comitibus annumerantur, postremo omnium ius haereditarium accepisse, quod vel de Norico ac Magdeburgico notum est omnibus et pervulgatum. Nam si id in universum intelligatur, sat scio

falsum dici, et Burgwardum Zurbici longe ante, et iam tum aetate Ditmari Episcopi ius haereditarium acquisivisse: lib. 6. p. 152. Illud autem forsitan quis mirari queat, quid induxerit Iohannem Micraclium, ut scriberet, Burggraviatum Soraborum (nam is designatur per Burgwardum Zurbici) postea dictum esse Marchionatum Misniae, Syntagm. hist. civ. lib. 3. Non equidem sum nescius, Sorabos olim, cum imperarent Carolingi, Misniam ac superioris Saxoniae partem tenuisse, et multis retro temporibus celebrem fuisse Sorabicum limitem, quem Marchiam appellare possis, tum quod sensu conveniat nomen, tum quod alioqui in republica Carolingica non sit ignotum, annal. Pith. A. 894. conf. Rein. Reineccius ad Poet. Saxon. anonym. l. 2. col. 21. Verum Burggraviatus Soraborum longo tempore post institutam Misniae Marchiam adhuc duravit, deinde proprium ac nativum nomen, haud ambiguo antiquati Burggraviatus Sorabici indicio, amisit, et Marchiae circa Albim, cuius Detmarus meminit, portio accessioque esse coepit non minus, quam ipsa Soraborum Marchia, quae multo ante desierat, et Marchiae Orientalis, quae et circa Albim dicebatur, ambitu comprehensa fuerat. Vid. post. Detmarum, apud quem fontes et capita antiquitatum Misnensium sunt, Petrus Albinus commentar. rer. Misnens. in explicat. tit. 8. et 9. et de insign. gentil. dom. Sax. in Dynast. Landsp. insignibus.

§. II. Sed termini, qui olim Marchiae Misnensi statuti erant, non iidem, nec immoti semper manserunt, et postquam Bohemorum atque Ungarorum impetum sustinuerat saepius, ac represserat feliciter, atque Milzenos subegerat penitus, (b) maioribus incrementis fines protulit, et vita functo Marchione Ekkihardo, vires accessione auxit, postquam Dedo Marchiam Orientalem (c) cum Misnia copulavit. Is a Budisniis (d) genus duxit, et fausta haec ad magnitudinem initia habuit, matrimonii dignitate atque necessitudine inclutus, et iusta successione VVetini Comes, nisi quod rudi ferocique seculo, ubi vix a bello quies erat, armis in Henricum III. versis, imperatoris gratia excidit, et postquam hic perduellionem indicaverat, exilio multatus fuit. Cuius acerbitate sententiae res Henrici valde inclinatae sunt, concitatis ira omnibus, ad quos pertinebat exemplum, quique in eiusdem civitatis fortunarumque omnium societate erant, donec ex iniuria postmodum gratia oriretur, et Misnica res in Conrado Thimonis filio, in antiquum statum rediret, quoniam ne sic quidem pacarentur offensi Saxonones, et magis attollerent caput, atque hoc adeo imperatori triste, et posteris utile ad recordationem exemplar esset, raro floruisse Imperatores, quorum potentia Saxonum amicitia non fulciretur.

(b) Consensu quodam gentium nationumque receptum est, ut quisque populus in certos fines describatur, et limitibus inclusa hominum imperiorumque tranquilletur.

quod illitas contineatur, quod si de terminis naturalibus, uti maris, montium ac fluminum intelligatur, ingenue fatendum est, id natu arbitrioque gentium dirigi, neque ex praecepto quodam iuris naturalis, neque ex consensu omnium gentium (qui omnibus civitatibus constitutum ius fecit, et quia omnibus, ideo universe valiturum) sed ex voluntate atque libera aestimatione populorum solum pendere. Fines enim, in quantum ius denotant, animo intelliguntur, et Diodori, Xenophontis ac Taciti, et plurium, flumina fines appellantium, testimonia, quae enumerat Hugo Grotius de I. B. et P. II. 3. 16. libero saltem quorundam populorum iudicio innituntur, nec a natura id habent, quod fines sunt, sed ab arbitrio atque aestimatione quorundam gentium, in quantum his visum est statuere ibi finem, ubi mons aut flumen esset, tunc maxime, quum difficili aditu minus periculum timeri possit. Ecquis enim ignorat, plerosque populos armis tantum ac potentiae utringue formidine opposita discretos fuisse olim, quod ex Plutarcho, Tacitoque ipsomet, et scriptoribus aliis nullo negotio demonstrarem, si huius equidem instituti esset. Nunc sufficiat observasse de Germanis priscis, etiam mutuo metu (nec montibus tantum) a Sarmatis Dacisque separatos fuisse: de morib. German. l. 1. Posterioribus vero seculis praeclare in republica Germanica existimatum est, apud montes et flumina praesecluras limitum situs pariter atque securitatis ratione optime institui, et saltem exemplo esse Marchiam Misnensem, qua Milzenos, qui sum Dalemiciis uno atque eodem gentis Sorabicae tunc per Misniam diffusae nomine appellantur, subigit Henricus Auceps, ac suae ditionis fecit, apud Detmarum lib. 1. Vbi impensiore cura hoc agit P. Albinus, ut confirmet, Marchiam Misnensem primo contra Milzenos conditam fuisse, non tamen solum contra hos, sed etiam contra Bobemos Polonosque, ut ex iis, quae reliquis libris posteritati narravit Detmarus, facile liquet, et contra Polonos magis communitam fuisse tradit idem, et de Bobemis ostendit Fabricius in annal. Misnae ad A. 978. et 1010. Quod usque eo grave quibusdam ac acerbum fuit, ut morituri nollent Misnae sepeliri, quod vererentur, ne hostes occupata urbe, cadavera iniuriis afficerent, cuius rei documentum praebuit Eid, Antistes quondam Misnensis, ut publicis monumentis mandavit Detmarus lib. 7. p. 198. Et subit hic recordatio Friderici I. Electoris, qui gloria belli atque factis egregiis praeclaram sui apud omnes posteros memoriam reliquit, ac sepulchrum diu ignotum in arce Misnensi habuit, quod consulto factum est, ac metu Hussitarum, a quibus tunc saepissime signa infesta Misniae illata sunt, et odio Herois, qui a Principio motuum fortissime ipsis restitit, in cinerem ac ossa, si arcem occupassent, saevituri credebantur. Itaque non tumulus, sed tumuli species, sive cenotaphium eius saltem Altenburgi fuit: atque id praeter literas ac diplomata quaedam, A. 1669. notae cadaveris indicarunt, Conf. Laur. Fastus act. Misn. p. 65.

(c) Maxime refert, ut hic observetur, Marchiam Orientalem dici, quae Detmaro l. 5. Marchia citra Albim, hodie Lusatia dicitur, Chron. Mont. Seren. ad A.

1136. A. 1225. p. 204. Illos autem hic deserimus merito, qui Marchiam Orientalem pro terra Orientali, inter Misniam ac Thuringiam interiecta, quae alias Osterlandia vocatur, habent. Neque id latuit P. Albinus, qui et ipse huius erroris indicium protulit, Cbr. Misn. p. 188. cuius multa ibi egregia sunt, etsi Philippus Cluverius alibi tacite ei succenseat, ac cum ipso reprehendat omnes, quot quot Misenos deducunt a Mysis, et ab externa gente gloriam originis quaerunt, quam domi bene sciteque reperire poterant: de German. antiq. lib. 1. cap. 3. p. 29. At qui inter hos, fuerunt imprimis R. Reineccius, et Petrus Albinus, viri invicem amici et alias pari eruditionis laude conciliati, ille Chron. Misn. tit. 3. et seq. hic singulari libro Teutonice lingua vulgato de orig. Misenor. Equidem Detmarus pro eo studio, quod in eruendis Misniae antiquitatibus posuit, procul dubio commemorandus erat, si, quod Albino videtur, nomen Misni Mysorum causa fuisse impostum urbi atque Marchiae apud Dalemencios institutae: nam et alias ad extrema digressus est Detmarus, et Merseburgum, cui primus murum circumdedit Henricus Auceps, dixit opus esse Romanorum, tametsi hoc dubia fide dixit, certe paria dicturus de Mysis, si ea tunc Henrici Aucupis, cum Misniae Marchiam conderit, sententia fuisset, et a Mysis, alienigena sane populo, ortos Misnenses credidisset. Vitium enim est de industria comminisci, quod melius scias, imbecillitas autem, quod nescias, sequi.

(d) Detmarus, quo satis certo auctore stamus, stirpem Budsetiam appellavit tribum Buzici, significatione familiae eminentis, et si a generis dignitate discesserit, Principibus quoque dudum necessitudine innixam, l. 6. p. 151. edition. Maderian. p. 71. Reineccian. Ex qua nominat Dedonem, non quia non pertinet ullo modo ad genus VVittekindi, sed quod a quodam dittonis suae oppido, et propter Rigdagi agnationem a gente Budsetia, nullo autem originum VVittekindiarum praeiudicio, deducatur; Rein. Reineccius de primis Misniae Marchionibus ad Chronicon Detmari. Quamquam si maxime ponatur, familiam Budsetiam, non fictis imaginibus, ac meritis suis celebratam, non esse adscribendam praedictae illi stirpi, tamen iuri, quod ad eam respectu Marchiae Misnensis innexarumque provinciarum pertinet, quodque multis ac validissimis titulis, concessione beneficiaria augustorum, agnatione proxima priorum Marchionum, et plurimis seculis innixum ac verissime stabilitum est, nil derogetur, neque vero ideo temere sit molestia exhibenda scriptoribus Originum VVetinensium. Cacterum de Dedonis et Comitum VVetini familia post Detmarum videantur Chronicon VValbecense, Chron. Gozecense, et quod saepe allegavimus, Cbron. Montis Sereni cum appendice. Etiam res Dedonis tractant Lambertus Aschafnaburgensis ad A. 1069. Conradus Vrspergensis ad A. 1070. quorum alter scripsit Dedi, alter Teti, qui cum quereretur sibi non tribui, quod esset acqrum, belli Saxonici, quod in com-



compendio descripsit Abbas Stadenfis, quodque Germaniam tunc valde perturbavit, hortator, ac defendendi Pontificis Romani contra Imperatorem Romanorum Dux atque auctor fuit.

§. III. Verum quia Henrici IV. ira leniri non poterat, feroces Principum animi magis commoti sunt, et severioris imperii odio multis audacia crescebat, prae caeteris Dedo adnerebatur, ut suis viribus imperatoris vim sustineret, et quancquam incepto non esset par eventus, tamen ne sic quidem apparebat, calamitate fractum fuisse, et cum in exilium iret, tantum necessitati paruisse, constabat, tunc deinceps instigando effecisse, ut Henricus filius indignatione stimulatus, ereptam Misnae Marchiam a Bohemiae Duce Vratislao, cui eam Henricus IV. Imp. concesserat, repeteret, (e) nec prius conquiesceret, quam Bohemum ex his terris exegisset. Cumque altera vice illum summovisset, et nihilominus in sententia perstaret Imperator, ac postea cuperet Henricus V. filius, ut Vratislao extincto, Vipertus Marchio Groicensis (f) inauguraretur in Vratislaoi locum, Saxones vehementius, quam ante, se moverunt ad sollicitandum reipublicae statum, et suscepta expeditione, Vipertum adorti, instructa acie pro Marchia Dedonis stirpi servanda dimicarunt, usque dum vicit reipublicae caritas, et Misnae principatus Conrado, Thimonis filio, ad quem, tanquam fratris filium, iure primi acqvirentis, pertinebat, vero atque incorrupto iudicio redditus fuit.

(e) Vivo Dedoni plerasque possessiones ac amplissimos redditus ademptos fuisse, omni asseveratione confirmat Aschaffnaburgensis. Cum enim reconciliandae gratiae causa Henrico III. se permisisset, mox in custodiam datus, atque ex ea aegre liberatus est. Dedi Marchio (inquit Aschaffnaburgensis) aliquamdiu habitus in custodia, tandem adempta possessionum et reddituum non modica parte, dimissus est. Bersholdus Monachus, qui Chronicon Hermanni Contracti continuavit, cum Aschaffnaburgense consentit, ac narrat, Dedonem se Henrico IV. dedidisse, sed de bonorum gravissima ista mulctatione, quam commemorat Aschaffnaburgensis, in tanta brevitatis consecratione nil addit, A. 1069. Itaque dum in Dedonem animadversum est, non oportet existimari, Marchiam Misnensem una abiudicatam fuisse, quandoquidem haec filio eius primum erepta, ac Vratislao Bohemiae Duci attributa fuit. In quam sententiam rursus haec scribit Aschaffnaburgensis. Cumque sub idem fere tempus Dedi Marchio longa aegritudine absumptus decessisset, Marchiam eius Bohemiae Duci in praemium exactae militiae dedit, tamen uxor Marchionis Adala (alio Adela) filium suum, cui haereditaria successione marchia debebatur, ei paulo ante pro se obsidem misisset, et ipse Marchio post recuperatam pacem in Gerstungum intemera-

tam semper erga regem remque publicam fidem servasset: pag. 225. et 177. collat. edit. Pistorian. et pag. 517. et 476. edit. Argentoratens. Addantur G. Fabricius orig. Saxon. l. 2. p. 352. P. Albinus Misn. Chron. p. 404. edit. A. 1589. qui perperam corrigit Lambertum, et mutare studet vocabulum Adalae, perinde ac si eo filium Dedonis denotasset Lambertus, cum tamen ex ipso Lamberto certum sit, nomine Adalae, non filium, sed coniugem Dedonis solum denotasse. Laurent. Faustus de stemmat. March. Misn. p. 102. Laurentius Peccenstein in familia Wittik. pag. 5. hanc vicissitudinem non attigit, forte quia compendii rationem habuit. Quod vero quidam referunt, Dedonem in exilio mortuum esse, ipsi viderint, quae ratione probent. Nam id ex Aschafnaburgense, in quo nobiscum quoque huius historiae sedem statuunt, non hauserunt, tametsi ex eo licet intelligere, Dedonem longa aegritudine confectum fuisse, quod duro ac difficili Imperatore, qui de illius possessionibus multum detraxerat, uteretur, quodque non obscuro indicio appareret, Vratislaum Bohemiae Ducem, qui Henrico Imp. fidam bello operam navaverat, studio atque benignitate Henrici annexurum pro utilitate sua, ac Marchiae insidiaturum. In quo utique non erravit, si et haec pars eius aegritudinis fuit: quandoquidem, teste Aschafnaburgense, ipsi contra Saxones adiutor fuit, et mortuo Dedone seniore (iunior enim Dedo a Patris ingenio desciverat) Misnae Marchiam, licet nulla honesta ratione ac legitimo titulo, et propterea non diu retinendam, impetravit. Illud autem procul dubio falsum est, quod Monachus Pegaviensis, quem Latine R. Reineccius, Teutonice Ernestus Brotustus edidit, affirmat, Ducem Vratislaum ab Henrico IV. creatum esse regem, de vita Viperti Groicensis ad 1093. quem sequitur Chronicon Bigaugiense p. 243. Enimvero dignitatem regiam primus intulit Bohemiae Fridericus Aenobarbus, autore Radevico de gest. eius lib. 1. cap. 13. quem sequitur Chron. Lauterbergense ad A. 1158. nec unquam aliter Vratislaum appellat Aschafnaburgense, quam Ducem Botemicum, sive Boemorum, et ea quidem Chronici parte, qua tradit, Ducem Poloniae nomen atque dignitatem regiam affectasse, traditurus idem de Bohemo, de quo et ibidem agit, si quoquo modo etiam regis honorem adeptus fuisset, ad A. 1077. Constatque ex ipsomet Pegaviensi monacho, non accurata loquendi ratione usum esse, quod verbis paulo post sequentibus filios Vratislai Duces, non reges, extulit. Neque hic tanta est nobis Cosmae Pragensis ad A. 1086. auctoritas, ut propter eum mutemus sententiam, qui non semper quam debuit, in commemorando diligentiam adhibuit, quem forsitan et secutus Monachus Pegaviensis est, ac alias ostendi potest, Cosmam et Pegaviensis, quem vocant, epitomatores, etiam in huius, in qua versamur, historiae parte paria referre quondamque solitos fuisse. Tum vero id repugnabat prudentiae Henrici IV. cui vel auctore ipso Pegaviensi monacho, potentia Vratislai suspecta erat, praesertim eo tempore, quo Germania Hermannii electionem, in turbido statu ver-

fabatur, Marian. Scot. ad A. 1082. 1083. Dodecbinus continuator ad A. 1086. Ne de errore in rationibus temporum admissio nunc aliquid dicam. Quamquam nec id tacebo, regiam dignitatem, quae Friderici AEnobarbi auspiciis concessa est, nondum haereditario iure tunc fundatam, nec successione continuatam fuisse, quod vel ipsius Vratislai, quem Fridericus I. diademate ornaverat, exemplo liquet, cuius successor Premislaus a Philippo Romanorum rege honore regio auctus memoratur, apud Arnoldum Lubecensem, Chron. Slav. l. 6. c. 2. ubi omnino habeo, quod desiderem in H. Bangerti notis. Sed quia mihi videor haec copiosius explicasse, nunc ad institutum rediens, velut in summa colligam, Dedonem, si maxime ab Imperatore in exilium eiectus est, tamen in exilio mortuum non fuisse, atque ab eo tempore non defecisse iterum, sed timuisse tamen merito posteritati suae, et cum viam rationemque consiliorum Henrici teneret, spem posuisse in Saxoniae Principibus, defuncto Dedone palam dicere ausis, Henricum ad internecionem totius Saxonicae gentis animum obstinasse, apud Aschaffnaburg. supra d. l. qui et summa ope postea effecerunt, ut Misnensis Marchia legitimo Domino redderetur. Quod nec ipsi scriptores Bohemici dissentunt, et in hoc genere praecipuum Ducem Lotbarium nominant.

(F) Huius res atque acta posteritati prodidit paulo ante allegatus Monachus Pegaviensis, ac fide atque testimonio suo effecit, ut memoria eius ne obliteraretur, postque hunc Chronicon Bigaugiense. Eandem operam alii, sed non perfecto opere, navarunt, quo numero sunt Conradus Vrsterbergensis A. 1105. Cosmas Pragensis A. 1123. ex recentioribus Albinus chron. Misnens. tit. 10. qui saltem pro instituti sui ratione de eo tradunt. Henricus Lindebergius ab eius stirpe deducit Ranzovios, in monument. Ranzovian. cap. 10. Sed hoc ad nos non pertinet, quod duo tantum capita hic ad considerandum proponamus: primo quod Vipertus ex veteri Misnensium Marchionum genere non fuerit ortus: deinde, quod Marchia Misnensis stirpi Dedonis nullo iure auferri potuerit, et per acerbiorem sententiam alienata repeti debuerit omnino, ac propterea omni studio repetiverit Marebio Henricus atque in eandem causam incubuerint Henricus iunior ac Timon, demum re ipsa atque exitu praestiterit Conradus I. ac iudicio imperatoris Lotbarii II. recuperaverit. Nam quoad Saliquorum stirps viguit, legitimis haeredibus severitas atque odium obstabant, plusque erga Vratislaum, et Vipertum gratia, quam ius valebant. Nec modo Henricus IV. ut ex Aschaffnaburgense traditum, obductam iniuriae a Dedone acceptae, et postea, quam se dederat, remissae cicatricem refricuit inique, quodque antea patri condonaverat, in filium nil commertum vindicavit infeliciter, sed etiam Henricus V. ex Saliquo genere ultimus, Henrico Iuniori iniuriam quaerenti atque ius postulanti defuit, usque dum Lotbarius Saxo, qui Conradum Timonis filium armis tuendum antea susceperat contra Imperatorem Henricum V. ipse imperatoria

Hbb

digni.

dignitate auctus, decerneret, hunc restituendum esse in pristinum Marchiae Misnensis statum. Explicite hoc recensuit Cosmas, et quod Marchia ad Conradum iure agnationis pertinuerit, confirmavit. Ita enim ille ad A. 1123. scribit. Imperator IV. (iuxta seriem imperatorum numeratus) Henricus praedicti Deda Marchionatum putans haerede desolatam, dederat VVigberti (Viperti Groizenfis) sub potentiam. Sed erat in Saxonia quidam nomine Conradus ex tribu eiusdem Deda natus, ad cuius manus iure pertinebat ille Marchionatus. Vnde Dux Ludera (Luderus, sive Lotharius, Comes Supplinburgius, et Duce Magno sine filio defuncto, Henrici V. beneficio dux Saxoniae factus, apud Abb. Stodens. ad A. 1106.) et alii Saxones valde indignantes contra Imperatorem, susceperunt bellum adversus VVigbertum. Sed exasperato erat animo Henricus V. et stabat in sententia, resistentibus interim Saxonibus, et adversus Imperatorem contumacibus, usque eo, ut Vipertum de possessione Marchiae armis depellerent, donec Lotharius, Henrici V. qui de vita decesserat, successerat, successor, iudicio terminaret lites, ac Henrico Misnensi Marchione rebus humanis exempto, redditum Dedonis stirpi verum avitumque ius confirmaret, et Conrado, cui magno nomen est, iure necessitudinis debitum, ac suo concessu denuo atque beneficiaria lege traditum sancte semper atque inviolate conservaret. Quod explanatius paulo tradidit Chronicon Lauterbergense ad A. 1127. et eius supplementum Meibomianum p. 204. Quod ne casu, nec fortuito, sed respectu iuris ac propter egregia Conradi merita factum videretur, vel illo ipso Lotharius Imp. testatus est, quod Misnensis Marchiae dignitatem honesto consilio atque hoc opportunissimo tempore amplificaret, atque ut maiori benevolentia officioque Conradum complecteretur, ad eam quoque benignioribus auspiciis adiungeret Marchiam Orientalem, Chron. Mont. Seren. A. 1135. et supplem. Meibom. p. 204. Quamquam enim haec apud alios denotat quoque Marchiam Ungaris ereptam, et ea nozione Baioariae limitem designat, apud Frisingensem lib. 6. cap. 15. Viterbiensem Chron. part. 17. pag. 249. Aventinum l. 1. Annal. Boi. tamen hic tantum in memoriam nobis redigit Luficensem, nec aliter in Chronico Sanpetrino declaratur, quae ut acquisita, et posthaec amissa et novissime stirpi suae repetita fuerit, erit occasio, ut alibi differam, et quantum ego quidem capio, summo studio, ac diffusa quadam continuatque commemoratione exponam omnes Misnensis Marchiae origines et commutationes, harumque causas pariter atque exitus, tum praecipue ea exquiram, quae innexos Misniae principatus, et Palatinatum Saxoniae Septemviratumque, ac alias longe eminentissimas dignitates spectant. Nunc enim in pia cogitatione conquiesco, et Marchiae huic a praepotenti Deo et Rege Henrico I. constitutae, ac sede atque domicilio Saxonicae Electoris ornatae aeternitatem precor.